

DISPVATIO THEOLOGICA  
DE  
**CONVERSIONE**  
NON  
**INSTANTANEA**

---

QVAM  
SVB PRAESIDIO  
VIRI PLVRIMVM REVERENDI, EXCELLENTISSIMI,  
AMPLISSIMI ATQVE DOCTISSIMI  
**SIGISMVND. IAC. BAVMGARTEN,**  
S.S. THEOL. DOCTORIS, EIVSDEM IN ACADEMIA REGIA  
FRIDERICIANA PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII  
SVIQVE ORDINIS H. T. DECANI,  
PATRONI SVI AC PRAECEPTORIS NVNQVAM  
SATIS DEVENERANDI

AD DIEM NOVEMBER, MDCCXLIII.  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPONIT  
ILLIVS  
AVCTOR ET RESPONDENS  
**ERNESTVS FRIDERICVS BENING,**  
OSNABRVGENSIS.

---

*HALAE MAGDEBVRGICAE,*  
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.  
RECUSA MDCCCLIII.

Coll. diss. A  
145, 9


544. A. 145 (9.)

*H. V. A.*

Sächs.  
Landes-  
Bibl.



§. I.



**D** quod conuersionem appellare solemus, non est fides in Christum ipsa; quum tamen ante istam non existat, neque locum habeat in homine rationis usu jam praedito, nisi ad Deum sit conuersus: contra ea per conuersionem, fidem in homine produci, facillime vnusquisque largietur. Efficit ergo vt fides in homine illam non habente existat. Quicquid autem efficit, vt aliquid existat, est actio (per princip. dat.) *Conuersio itaque est actio, mediante qua fides, in homine adulto, produciuntur.*

Quam suppeditauius de conuersione notionem, cum sensu et loquelis sacrae scripturae accurate congruit. Est enim conuersio vox scripturaria et in textu originali, ἐπιστροφῆς nomine, haud semel occurrens. Sic Apostolus Actor. XV, 3. narrabat τὴν ἐπιστροφὴν τῶν εὐνῶν fratribus. Egressus erat cum Barnaba, omnium prima vice, ad praedicandum verbum de Christo eiusque satisfactione cap. XIII, 2. 3. Praedicabat etiam istud Antiochiae, in Iudaeorum schola, longa et graui oratione. At illi pertinaciter resistebant, illudentes et malitiose aspernantes verbum, quod de illorum salute illis faciebat. Convertēbat igitur sese ad gentes, qui laetitia affecti verbum Domini excipiebant et credentes fiebant, secundum v. 18. eiusdem capituli. Hoc facto Antiochiae, veniebat ad Iconienses, inter quos iterum ingentem multitudinem fide instruxit atque exornauit. cap. XIV, 1. Post haec transibat Apostolus regiones Phoeniciae et Samariae et fratribus, qui inde gaudium percipiebant, narrabat ethnicorum conuersionem. Quum itaque omnium prima vice exierat Apostolus, ad praedicandum Euangelium, gentes,

quarum hic fit mentio, non aliae esse possunt, quam quibus antea Euangelii doctrinam manifestauerat Paulus. De his autem dicitur, quod fidem acceperint. Videmus ergo, quod asseuerandum erat, Scripturam sacram non aliter loqui ac nos et Theologos nostros, scilicet quod conuersio sit actio mediante qua homo adultus accipit fidem.

Diximus conuersionem esse actionem, qua mediante fides in homine adulto producit et inde patet, illam nuda fidei donatione haud quaquam esse absolutam. Si enim dicitur, actione quadam producit fides, hoc nihil aliud est, nisi ad fidem producendam, varii actus concurrere debent, & hi simul sumti, actionem et medium, quo fides excitatur, constituunt, hoc est rationem sufficientem fidei in se continent. Non autem fuit necesse ut hi actus definitionem ingrediantur, quia ex illis, quod in sequentibus fiet, sequuntur atque concludi possunt.

### §. II.

Homo qui conuertitur est adultus (§. I.). Ergo de infantibus non dici potest quod conuertantur. Quum autem per baptismum regenerentur (per Theol. dogm.) et regeneratio etiam nihil aliud sit, nisi fidei donatio, inde apparet, discrimen inter conuersionem & regenerationem hoc versari, quod haec de infantibus et adultis simul dici possit, ista autem non nisi de adultis valeat. Et quia Renovatio et Poenitentia quotidiana iam sibi praestructam habent fidem, ut patet ex Ephes. IV, 20. in conuersione homo autem demum accipiat fidem (§. I.), etiam conuersio non est renouatio, neque poenitentia quotidiana. Denique externa morum emendatio non facile confundi potest cum mutatione ista quae ex conuersione enascitur. Externi enim mores sunt actiones hominis, quatenus ex regulis de decoro diiudicantur. Si ergo emendantur, fit consensus istarum cum regulis de decoro maior, conuersio autem fidem promovet; quae cum ergo antea non adfuerit, conuersio et externa morum emendatio non alio modo conueniunt, nisi quod ambae mutationem inferant.

### §. III.

## §. III.

Lex diuina moralis existit, et illi vel conformantur actiones hominum ex amore Dei vel non. Si prius oritur inde virtus christiana, sive *bona opera*; si posterius *peccata* strictè sic dicta inde originem trahunt. Et si actiones istae legibus non conformantur, hoc fit vel deliberato animo vel non. Peccata, quae priori casu peraguntur, vocantur *voluntaria*; posterioris autem generis *involuntaria* siue infirmitatis.

## §. IV.

Ex theologia dogmatica sine longiori probatione, quod salua methodo fieri potest, hic assumimus: peccata voluntaria non consistere posse cum fide in Christum, et bona opera neminem peragere posse nisi qui habeat fidem.

## §. V.

Homo qui ad Deum conuertitur accipit fidem (§. I.). Ergo antea illam non habuit; et quia bona opera non sunt sine fide (§. IV.) nec ista perpetravit. Bona opera autem et peccata sunt contradictorie opposita (§. III.); Ergo, ut peccatis antea obrutus fuerit, necessarium est consequens.

## §. VI.

*Sine peccatorum voluntariorum abolitione conuersio nihil est.* Per conuersionem excitatur fides in Christum saluatorem (§. I.); et quia cum hac peccata voluntaria consistere nequeunt (§. IV.), nec conuersio obtinetur, si adhuc peccata voluntaria, siue proaeretica, peraguntur. Ast homo ante conuersionem suam peccatis erat obrutus, et quia nemo bona opera perpetrare potest, nisi qui habeat fidem (§. IV.), quis dicet, tot peccata, tot dissensiones a lege fuisse omnes peccata infirmitatis? Ergo vt deponat peccata voluntaria quilibet, qui conuersionem desiderat, res ipsa efflagitat. Quare cum sine peccatorum voluntariorum abolitione conuersio sit impossibilis, & impossibile nihil dicatur, elucet inde, sine pec-

catorum voluntariorum abolitione conuersionem nihil esse.

§. VII.

*Pariter et sine fide in Christum conuersio nihil est.* Quicquid enim impossibile est, illud nihil nominari, in praecedenti paragrapho diximus. Quod autem fidei carentia conuersionem ad Deum impossibilem reddat, hac ratione facillime euinci potest. Vbi, de eodem subiecto, idem affirmatur et negatur, eodem respectu, necessariam illud ponit impossibilitatem. Haec autem propositio, conuersio esse potest sine fide, subiectum negat, quod praedicatum affirmat. Est enim conuersio actio mediante qua fides producit (§. I.). Ergo conuersio sine fide nihil est.

§. VIII.

Quoniam homo convertendus ante conuersionem suam legi diuinae haud quaquam obtemperabat, sed in omni peccatorum genere sese exercebat (§. V.); pessima autem haec agendi consuetudo deponi debeat in conuersione (§. VI.); pariter et ad meritum Christi sit confugiendum, & huic firmissima fide adhaerendum (§. VII.), facile hinc intelligitur, efficere hoc immutationem quandam in homine et spectari posse id quod antea aderat, nunc vero aboletur & illud quod antea deerat, nunc vero producit; simulque patet, his momentis, totum conuersionis opus contineri.

Mutatio haec, quae in conuersione locum habet, fuit causa, cur Theologi terminos duo constituerint, scilicet terminum *a quo et ad quem*. Et hos etiam spectat Paulus Apostolus, inquit Act. XIV, 12. *nos sumus etiam homines mortales, sicuti vos, et annunciamus vobis Euangelium, ut vos conuertatis a falso hoc ad viuum Deum.* Adhortatur Apostolus ut cultum, quem falso Deo habuissent, non amplius illi tribuant; sed Deum viuum colant. Nonne ergo vult ut aliquid remoueatur quod aderat, et aliquid praestetur quod antea non praestitum erat, id est quod deerat.

§. IX.

## §. IX.

*Peccatorum fuga, omne illud aufertur, quod in homine antea non adesse debebat.* — Dum enim hic dicitur, num aliquid adesse vel minus adesse debeat, facillime quisque videt, nos loqui de eo quod per determinaciones et actiones hominum, siue sint externae siue internae, adesse vel non adesse debeat. Iam cum lex diuina tantummodo sese ad actiones et determinaciones hominum extendat, et omne istud, quod non isti, ex amore erga Deum conformatum est, peccatum stricte sic dictum (§. III.), adeoque et malum sit; Deus autem tanquam Ens sapientissimum malum non velit (per princ. theol. nat.) etiam tot innumerabilia peccata non potest nisi vehementissime auerfari. Quum igitur quicquid sit bonum vel malum sit (per princ. exclusi medii); et homo ante conuerfionem continuo peccauerit (§. IV.); etiam eorum quae in homine adfuerunt nihil auerfari potuit, nisi mala et quidem talia, quorum rationem sufficientem propter actiones liberas, homo in se ipso continet, quae ita sunt comparata vt illa auerfetur et auferri velit, haec autem sunt peccata. Ergo peccatorum fuga omne illud aufertur quod antea non adesse debebat.

## §. X.

*Contritio est tristitia, ob peccata commissa suscepta.*

Est haec vox impropria et in sacris litteris usitatissima. Denotat autem dolores et patores conscientiae eorum, qui vident et cognoscunt, quot quantisque peccatis sese commacularunt, iustumque propterea Dei iudicium pertimescunt. Sic Rex Dauides, cum lachrymis deplorans stuprum, quod commiserat, et interitum Vriae cuius causa fuerat, tandem inde solatium percipit ac inquit Ps. LI, 19. *cor contritum non reicies o Deus.* Consolationis gratia, haec verba fecisse Psalmistam, non est quod dubitemus. Petierat enim in praecedenti a sanguine, quem fuderat, liberationem. Multis oblationibus, hanc sibi

NON

non conciliare posse, fatetur v. 18. attamen v. 19. dicit: oblationes, quae Deo placerent, esse spiritum anxium, cor contritum non reiiceret Deus. Verba autem ista, cum illis se miserum erigat, talia vt sint necesse est, qualia esse debent inseruendi huic fini. Quid autem nobis maiorem offert certitudinem, de gratia Dei, deque peccatorum condonatione, quam tristitia ob peccata commissa orta, quam fides sequitur? Spectat itaque Rex moestissimus tristitiam quandam, ob peccata commissa susceptam.

### §. XI.

*Absque contritione, peccandi consuetudo auferri non potest.* Si enim auferatur, nunc aliter agimus quam ante; quod sine voluntatis determinatione fieri non potest. Omnis autem determinatio voluntatis praecedentem requirit cognitionem intellectus (per princ. psych.) et quidem malorum et bonorum, cum actionibus coniuictorum (per eadem princ.). Iam cum homo agat secundum mali et boni cognitionem, et quo maiora sunt mala, et quo fortior intuitus, eo maior etiam auersatio fit; ex auersatione autem, si mala iam adsint taedium, et si hoc sit vehemens tristitia inde exurgat, non potest aliter fieri quam vt peccator, dum vitae suae mutationem ingreditur, tristitia afficiatur. Quoniam autem haec tristitia ob peccata commissa sentitur, et haec *contritio* nominetur (§. X.), videmus quod absque contritione peccandi consuetudo non auferatur.

### §. XII.

*Fides in Christum est id quod ante conuersionem deerat, nunc vero per illam producitur.* Ante conuersionem enim homo in peccatis vitam agebat (§. V.). Ergo credere in Christum saluatorem non potuit (§. IV.). Quoniam autem conuersio est actio, mediante qua homo peccator accipit fidem (§. I.), per conuersionem ista producitur. Ergo est fi-  
des



des id quod ante conuersionem deerat, nunc vero per illam producitur.

### §. XIII.

Quoniam conuersio est mutatio (§. VIII.), et hanc ob rem in illa nihil aliud spectari possit, nisi quod antea adfuit, nunc autem aboletur, et quod antea deerat, nunc autem producitur; praeterea peccatorum fuga, omne illud auferatur, quod antea non adesse debebat (§. IX.); et haec obtineatur per contritionem (§. XI.); Fides autem in Christum illud sit quod antea deerat, nunc vero producitur: liberrime hinc fluit, *contritione atque fide uniuersum conuersionis opus esse absolutum.*

Id, quod in hac paragrapho asseruimus, est, quod ecclesiae nostrae Theologi docent: Partes conuersionis esse duas, contritionem scilicet atque fidem. Videatur Beati *Musaei* disput. de fide I. §. 3. p. 2. attamen fuerunt et inter hos qui putarunt, tertiam partem esse addendam, nouam nempe obedientiam. Ast haec non est pars conuersionis, sed potius consequens illius. Quid enim aliud quaeso est noua obedientia, quam studium bonorum operum? Bona opera autem quia ex amore erga Deum peraguntur non possunt non ex fide suam trahere originem. Ergo nec noua obedientia prius locum habet, nisi iam homo fidem acceperit; tum autem est conuersus. Id quoque Iohannes Baptista innuit, distinguens conuersionem a fructibus ipsius, cum iubet Matth. III, 8. dignos poenitentiae fructus facere.

### §. XIV.

*Poenitentia* nihil est, nisi ipsa contritio, et quia haec unam partem conuersionis constituit (§. XIII.) *poenitentia ad conuersionem hominis summe est necessaria.*

Contradistinguit Iohannes, Marc. I, 15. poenitentiam Euangelio, dicens: *ματανοείτε και πιστευετε εν τω ευαγγελιω*; adeoque fidem non simul complectitur. Est enim Euangelium complexus promissionum de gratia Dei et nostra salute.

B

§. XV.

## §. XV.

Contritio est tristitia ob peccata commissa suscepta (§. XV.), et poenitentia consistit in contritione (§. XIV.). Quare poenitentia inuoluit viam peccatorum *agnitionem, dolorem et odium* erga peccata vehementissimum.

## §. XVI.

Saepeius sacrae litterae fidei faciunt mentionem; nunc autem latius patere illius significatum, nunc arctioribus limitibus esse circumscriptum, manifeste deprehendimus. Sic facillime quisque largietur, Apostolum cap. XI. ad Hebr. disputare de fide in genere. Dicit enim fidem esse fiduciam certam illius quod speratur, ubi non dubitatur de eo, quod non videtur. Quare cum fiducia sit gaudium ob bonum praesens, ut causa multorum aliorum ortum, et fiducia certa nihil sit, nisi fiducia ex cognitione certa orta, quam semper ante ponit; & quia hoc gaudium percipiatur ob bonum praesens, tanquam causam multorum futurorum, propter fiduciam semper alia bona speramus, neque dubitamus de illis, quamquam non videmus: hoc loco nihil aliud Apostolus dixit, nisi fidem esse fiduciam. Fidem habere itaque nihil aliud est, nisi fiduciam in aliquo positam habere. Iam multis aliis locis dicitur, ad salutem consequendam, fidem in Christum esse summe necessariam Ioh. III, 16. Rom. X, 10. Ergo et meritum illius pretiosissimum est causa nostrae salutis sola I Tim. II, 6. Ergo *fides in Christum siue saluifians est fiducia, in merito Christi collocata.*

Non concludat beneuolus lector: Quum fiducia sit gaudium ob bonum praesens, ut causam aliorum ortum, et in aliquo fiduciam suam collocare, nihil aliud sit, nisi gaudium percipere ob bonum istud, quatenus est causa aliorum futurorum, in nullo alio fixam habere possumus fiduciam, nisi in bono praesente; meritum Christi autem non existat amplius. Ergo nec fieri posse, ut in isto fiduciam ponamus. Omnino adhuc existit  
meritum

meritum Christi pretiosissimum. Licet enim non adhuc Christus, ut Mediator, luat mortis cruciatus grauissimos, nec multo minus ob patris iram sentiat dolores in anima intensissimos, licet hac ratione meritum Christi non amplius praesens sit, id est non existat physice; praesens tamen est, ratione infiniti sui valoris et efficaciae, quam habet moraliter, cum hodie adhuc per illud, Deus ad clementiam et misericordiam commoueatur. Idem igitur est, cum valorem habeat infinitum, num existat adhuc physice siue minus. Possumus ergo ex illius imputatione, omnino capere laetitiam summam atque maximam. Conferatur beati *Musaei* tractat. de conuers. disput. III. cap. 3. §. 177. p. 166. Nec abhorret fidei definitio suppeditata a loquendi theologorum usu, id quod ex sequentibus conspicietur quam lucidissime.

## §. XVII.

Tria ad fidei existentiam requiruntur momenta: 1) *notitia* 2) *assensus* & 3) *fiducia*.

*ad num. 1)* Est fides fiducia, in merito Christi locata (§. XVI.). Quum igitur fiducia sit gaudium ob bonum praesens, ut multorum aliorum causam, ortum (§. XVI.), non aliter fidem habere possumus, nisi etiam de bono quodam habeamus repraesentationem. Ex cognitione enim boni demum oritur voluptas et gaudium (per princ. psych.). Ergo *notitia ad fidem etiam est necessaria*.

*ad num. 2)* *Fides efflagitat assensum*. Iste enim est iudicium de veritate alicuius rei; & fides requirit Christi meriti-que ipsius notitiam. Ergo si aliquod ferre debemus in fide iudicium, illud de Christo illiusque merito fieri debet. Quod autem eiusmodi iudicium ferendum sit exinde efficitur, quia talis est conditio animae nostrae, ut vel verum, vel falsum aliquid pronuntiet, vel in abiguitate maneat. Falsum non potest meritum Christi dici; quia alias exinde bona sperare non possemus, adeoque nec gaudium percipere; quod tamen inde capitur (§. XVI.). Nec in ambiguitate persistere possumus.

Fiducia enim oritur ex cognitione certa (§. XVI.), & haec contradistinguitur dubiae. Ergo necesse est vt iudicemus: meritum Christi esse verissimum. Ergo fides efflagitat assensum.

*ad num. 3) Fiducia denique ad fidem pertinet.* Quicquid enim vniuersam fidei naturam sublatam reddit, illud ad constituendam illam, necessario requiritur. Quum igitur fides sit fiducia, in merito Christi collocata, omnino fiduciae carentia tolleretur fidei natura. Ergo ad fidem fiducia requiritur.

### §. XVIII.

Homo in conuersione accipit fidem (§. I.). Ergo incipit fiduciam collocare in merito Christi (§. XVI.). Ergo percipit gaudium, et quidem ob aeterna et inaeestimabilia in Christo bona (§. XVI.). Et quia ad fidem notitia, assensus et fiducia efflagitantur (§. XVII.), etiam homo, quando ad Deum conuertitur, scire omnino debet, quis sit Christus; quid illius meritum; debet deinde assensum suum huic veritati, quod per Christi meritum solummodo salutem obtineamus, haudquaquam denegare; et denique illi in hoc solo est acquiescendum, gaudento et sperando per illum aeternam salutem.

### §. XIX.

Vim aëtricem mundi, per essentiam modificatam, *naturam* Mundi appellare solemus. Quicquid igitur fit in Mundo, vel in hac vi rationem suam sufficientem habet, vel minus habet. Si prius *naturale* mundi; si autem posterius supernaturalem inde originem trahit. Actio supernaturalis *Miraculi* afficitur nomine.

Sunt definitiones, quas adduximus, Perillustris nostri *Wolffi* in cosmologia sua tam latina, quam germanica Met. germ. suppeditatae et quas ob miram praestantiam huc transcribere non dubitauimus.

### §. XX.

## §. XX.

*Producitur in conuersione nouus habitus supernaturalis actionum legitimarum.* Actiones enim legitimae sunt, quae cum voluntate Numinis, siue lege morali conueniunt. Tales autem non suscepit homo irrogenitus ante conuersionem suam (§. V.). Ergo et harum habitus defuit. Studet autem iam homo actionibus legitimis omni cura atque intentione. Est enim qui accipit fidem (§. I.). Fides autem cum inferat fiduciam (§. XVII.), non solum bona videt, verum etiam illis cumulatur et multa alia expectat (§. XVI.). Iam autem impossibile est, vt illum non amore prosequamur, quem perficere nos, manifeste deprehendimus (per princ. psych.) Si autem quem iam mirifice diligimus, tum sedulo cauemus, quantum fieri potest, ne quidquam contra illius voluntatem agamus (per exp.). Ergo studet iam homo actionibus legitimis et habitus, qui inde oritur, est nouus. Proinde habitus iste est supernaturalis. Per fidem et propter fidem enim adest (per Demonst.). Fides autem in vi actrici animae rationem non habet sufficientem 1 Cor. II, 14. Quicquid autem in vi actrice Mundi, rationem non habet sufficientem, supernaturale est. Ergo in conuersione producitur habitus nouus supernaturalis, et quidem actionum legitimarum.

Videmus ex demonstratione hac, quod Apostolus significare voluerit adhortatione sua: induite nouum hominem ad imaginem Dei conditum Ephes. IV, 24. Quid nouus homo aliter esse potest, quam complexus actionum legitimarum? Istam viuendi rationem, quae summe erat deprauata, appellat veterem hominem, quem vt deponant, adhortatur. Iam pergit et nouum hominem induere iubet. Ergo iste significat talem agendi habitum, quo homo sese in omni virtutum genere exercitiorum et perfectiorum reddit. Proinde eiusdem Apostoli verba admodum emphatica, de vi omnino super-

naturali Dei in mouendis et conuertendis hominum animis, extant Ephes. I, 19. 20. dicit eadem efficacia Deum operari fidem, qua operatus esset Christi ex mortuis resurrectionem. Nonne ergo vires hominum omnino omnes longe excedit.

### §. XXII.

Deus solus hominem conuertit (§. XX.), conuersio autem infert mutationem in agendo (§. IV. V.), quod sine voluntatis determinatione fieri non potest (§. XI.), debet proinde homo peccata cognoscere et dolere (§. XV.), debet notitiam Christi illiusque meriti habere, huic cognitioni assensum praebere et in Christo fiduciam collocare (§. XVII.). Quae omnia si vnico actu non peraguntur, quod hic tamdiu assumimus, donec demonstrationem ipsam paulo post aggrediemur, variae operationes diuinae omnino concurrere debent et quas Theologi in *praecurrentis*, *praeparantis* et *conuertentis* gratiae operationes distinguunt, quarum prima sanctam de vita mutanda ratione cogitationem, secunda desiderium et determinationem ad istam, tertia autem dolorem ob peccata commissa et fidem in Christum saluatorem excitat et gratiose operatur.

### §. XXIII.

*Per fidem nobis meritum Christi imputatur.* Meritum Christi enim est factum alienum et facta aliena nobis imputari nequeunt nisi accedente consensu nostro, tam in factum quam in illius imputationem dato (per princip. Iuris Nat.) Quare cum ex parte nostra nihil amplius in sacris litteris requiritur ad fidem consequendam quam fides Marc. XVI, 16. etiam meritum Christi nobis per fidem imputatur.

### §. XXIV.

Meritum Christi nobis per fidem imputatur (§. XXIII.). Hoc autem facto iusti pronuntiamur. Pronuntiatio autem  
pro

pro iusto est *iustificatio*. Ergo *iustificatio* sequitur *conuersionem* (§. I.).

## §. XXV.

Complementum alicuius rei est id, ex quo concipi potest, omnia adesse, quae ad rem quandam constituendam requiruntur et quod cum illa est connexum: quare studium bonorum operum constituit complementum conuersionis. Bona opera enim sunt actiones legi diuinae conformes ex amore erga Deum susceptae (§. III.), hae autem ante ponunt fidem (§. IV. coll. 20.); fidei autem existentia excludit habitum peccatorum voluntariorum (§. IV.), qui per contritionem tollitur (§. XII.); Iam cum contritio et fides conuersionem hominis sistant consummatam (§. XIII.); et nexus ea ad se inuicem relatio fit, quarum vnum in se continet rationem sufficientem alterius, bona opera autem rationem suam in fide habeant (§. XX.): etiam studium bonorum operum cum fide est connexum et propterea complementum conuersionis dici potest.

Iohannes Apostolus propterea affirmat: omne quod ex Deo esse natum vincere mundum I Ioh. V, 4. Sensus verborum hic est, omnes qui habent fidem, facili negotio bona opera agunt; verba enim haec eo fine sunt allata, vt contineant probationem illius, quod in praecedenti versu dixerat, scilicet praceptorum Dei non esse difficilem seruationem. Iam cum Mundus, secundum sacras litteras, nihil aliud significare soleat nisi complexum actionum malarum; et harum exercitium facillime regenitos ad idem impellere possit, adeoque studium bonorum operum difficile reddat, ille cum habitu bona opera perpetrare potest, qui se abripi istis haudquaquam patitur. Mundum ergo vincere nihil aliud est, nisi bonis operibus studere, quamquam illud studium, per malas actiones irrogenitorum, difficile reddatur. Quicumque autem in agendo, propter impedimenta varia et maxima non impeditur, ille vt cum habitu agat necessum est. Iam cum regenitus sit, qui habet fidem,

dem,

dem, videmus sensum verborum hunc esse: omnes qui habent fidem facili negotio bona opera agunt. Vbi autem est fides ibi conuersio iam est peracta. Ergo ex habitu bonorum operum secundum sensum Apostoli concludere licet, conuersionis complementum iam adesse.

§. XXVI.

Fiducia inuoluit gaudium (§. XVII.), et homo conuertendus tristitia debet affici (§. XIII.), et quidem ob peccata commissa (§. X.): sunt ergo criteria conuersionis, auersatio peccatorum, anxius ob ista commissa animus, amor Dei Christianique redemptoris et denique flagrans cupido nunc omni diligentia virtutibus Christianis studendi.

§. XXVII.

Quicquid existit vel successiones admittit vel non. Si prius illud in *tempore* existere dicitur. Si autem posterius illius existentia vel continuatur vel non. Si prius vocatur duratio, si autem posterius illud ad *momentum* siue in *instanti* existere dicitur.

§. XXVIII.

Cum igitur demonstraturi simus, conuersionem non esse instantaneam, propositio probanda haec erit: actio mediante qua homo adultus accipit fidem ita durat vt varias successiones habere debeat. In conuersione igitur si spectari debet, quod erat, quod nunc est et quod futurum est, etiam euentum erit, illam minime esse instantaneam.

§. XXIX.

Tunc *saltum* naturam committere dicitur, quando in praecedentibus, illius, quod sequitur, nulla deprehenditur ratio sufficiens.

Sic natura committeret saltum, si media hyeme, quando horti campique omnes alta niue obruti iacent et terra arboresque vehementi frigore constrictae sunt, vt neque herba progerminare neque plantae efflorescere possint, si hoc tempore, vnus horu-



horulae spatio, tanta fieret mutatio, vt gramen terra vndique emisisset, flores omnium cum delectatione vbique videri possent, arborumque rami frondi omnes essent vestiti, vt tempus existeret media aestate non amoenius, si hoc fieret, omnino per saltum fieret. Constat enim nobis; horum omnium calorem esse rationem sufficientem; hoc tempore iste autem, propter solem remotissimum, deficere omnino debet.

## §. XXX.

*Neque natura, neque Deus committit saltum.* Natura enim mundi consistit in vi aëtrice eiusdem (§. XIX.); et cum nexus sit ea ad se inuicem relatio, quarum vnum in se continet rationem sufficientem alterius (§. XXV.); in mundo autem detur nexus (per def. mundi): omne quicquid in Mundo fit, habet rationem sufficientem in praecedentibus. Si autem hoc, non committitur saltus (§. XXIX.). Ergo natura non committit saltum, quod erat primum.

*Neque Deus agit per saltum.* Iste enim est huius vniuersi auctor (per Theol. nat.), atque adeo ordinem, quem in isto deprehendimus, sapientissime voluit. Iam essentia mundi efflagitat omnia in isto fiant successiue, et quidem ita vt praecedens in se contineat rationem sufficientem consequentis (per demonst.); ergo etiam hoc voluit Deus, propter infinitam suam sapientiam. Iam si vellet per saltum agere, vel hoc contra ipsius sapientiam infinitam; quod est absurdum. Ergo nec Deus agit per saltum.

## §. XXXI

*Conuersio instantanea non aliter fieri potest nisi per saltum* Fingamus enim istam fieri in instanti. Ergo actus, quibus ista absoluitur, non successiue existunt sed vnico actu (§. XXVII.), et si hoc vel omnes vel non. Si non, vel contritio sola exclusa fide, vel fides solummodo exclusa contritione existit. Sed contritione atque fide totum absoluitur conuersionis ne-

C

gotium

gotium (§. XIII.). Ergo contritio et fides simul existere debent. Ergo vel omne illud, quod ad hos aetus animae producendos inseruit vel non. Hoc autem simul cum fide et contritione existere non potest. Habet enim contritio et fides vel rationem sufficientem vel non. Si posterius oriuntur per saltum (§. XXIX.). Si autem habent rationem sufficientem haec nulla alia est nisi cogitatio boni et mali in intellectu (§. X.). Haec autem vel praecedat vel cum contritione et fide simul existit. Prius est contra hypothesein; Ergo posterius esse debet et si hoc vel cogitatio ista est clara vel obscura. Prius non est propterea, quia ex multis obiectis simul cognoscendis obscuritas oritur (per exper.). Plura autem obiecta necessario sunt consideranda, quando tristitia et fides inde originem trahit. Ergo cognitio, ex qua tristitia et fides est oriunda, vt obscura sit necesse est. Si autem hoc neque tristitia neque fides exinde oriri potest. Est enim cognitio obscura, quae rei diuersitatem ab aliis non percipit. Iam autem cum tristitia ex cognitione mali et fides ex notitia bonorum in Christo oriatur et haec cognitio in conuersione instantanea sit obscura, nec bona a malis nec mala a bonis distinguere possumus. Ergo neque tristitia neque fides inde oritur. Si hoc dubio caret, conuersio instantanea aut plane nulla est, aut in praecedentibus non habet rationem sufficientem. Prius est contra hypothesein, posterius autem si adest conuersio haec fit per saltum. Ergo conuersio instantanea fit per saltum.

Simul ex hac demonstratione fit manifestum, conuersionem instantaneam penitus auferre partes conuersionis essentielles et propterea conuersionis naturam et essentiam tollere. Quid autem hoc absurdius fingi vel excogitari potest?

#### §. XXXII.

Quum conuersio instantanea non aliter fieri possit nisi  
per

per saltum (§ XXXI.): Deus autem et natura non agat per saltum, *conuersio in instanti peragenda locum non habet.*

## §. XXXIII.

Vbi non fit saltus, ibi in praecedentibus deprehenditur Ratio sufficiens consequentis (§ XXIX.). Quum autem quicquid sit habeat Rationem sufficientem, vt etiam illam habeat in praecedentibus, si saltus non committitur, necesse est. Contritio et fides sunt partes constituentes conuersionem, quae diuersam agnoscunt Rationem sufficientem (per princ. psych.) et quae simul praesentes esse non possunt (§ XXXI.). Ergo cum posita Ratione demum ponatur ratiatum, omnino varii actus in conuersione dantur, qui se inuicem excipiunt. Ergo inde patet, quod successiones multae ad conuersionem sint necessariae tempusque adeo haud exiguum.

## §. XXXIV.

Diuersarum rerum, quae ad me non pertinent, repraesentationes in me existunt et si harum obiecta a me et aliis distinguere valeo *conscius mihi sum.* vid. Metaph. Perillust. *Wolffii §. 730.*

## §. XXXV.

Magis itaque vnum distinguere possum quam alterum. Ergo et vnus mihi magis conscius esse possum altero. Et quia obscurae ideae nullam percipiunt diuersitatem (§ XXX.), nec mihi conscius sum, si animae meae insunt non nisi obscurae ideae; adeoque nullam sentio diuersitatem existentiae meae ab aliis rebus.

Videmus illud, quod est dictum in §pho hac, in somno, in quo nosmet ipsi non nouimus. Repraesentationibus quidem in isto statu non omnibus destituimur; ast repraesentationes istae nullo distinctitatis gradu praeditae sunt; adeoque ignoramus, ex alto somno expergefacti, quales istae repraesentationes fuerint, quas per hoc tempus habuit anima nostra. Optime etiam Cartesiani ex cogitatione illorum suimet ipsarum existi-

stentiam prae aliis rebus inferre potuerunt. Dum enim sibi ipsis conscius erant, non solum Egoitatem, quam ipsi habebant ab aliis discernere poterant, verum etiam Ens aliquod adesse debebat quod cogitaret hanc diuersitatem.

§. XXXVI.

Obiectorum multitudo, quae intellectui simul cogitanda obuersantur, auferunt conscientiam. Simultanea enim plurimorum obiectorum cognitio ideas reddat admodum obscuras (§. XXXI.). Ergo auferitur conscientia (§. XXXV.).

Id quod plurimarum obiectorum simultanea cognitio ideas efficiat obscuras, vir Illustr. *Bilfingerus* in Epist. Amoeb. de harmon. praest. §. 6. ingeniosa illustrat similitudine: statue te in medio, inquit, centum oratorum, in ambitu circuli, aequalibus interuallis distributorum et voce alta, sed aequali sermones habentium. Percipies omnium voces, nulla enim est ratio cur alterum magis quam alterum percipias et nihil tamen intelliges. Fac ut vnus eorum utatur tubo ostentorio et reliqui pergant ut antea, vel impone reliquis silentium, aut iube ut submissa admodum loquantur, centesimus vero pergat ut prius alta voce, percipies clare quae dicit.

§. XXXVII.

*Sine conscientia tristitia & gaudium produci nequit.* Tristitia enim oritur ex mali, & gaudium ex boni cognitione (per princ. psych.). Ergo sunt motus voluntatis contrarii oppositi. Si itaque absque conscientia producerentur, illud fieret sine omni cognitione diuersitatis boni a malo & mali a bono (§. XXXIV.). Nulla igitur foret ratio sufficiens cur gaudium potius adesset & non tristitia & haec potius quam illud. Est enim Ratio sufficiens id, ex quo cognosci potest, cur aliquid sit, cur ita sit nec potius aliter. Ergo nec sine conscientia tristitia & gaudium prodici potest.

§. XXXVIII.

Tristitia & gaudium requirunt conscientiam (§. XXXVII.). Ergo nec sine conscientia conuersio est possibili

lis

lis (§. I. XI. XIII. XVI.). Et quia, si plura simul considerata animae obuersantur, ideae oriuntur obscurae (§. XXXVI.) quae auferunt conscientiam (§. XXXV.): Nec propterea in momento peragitur conuersio, quia non obseruabilis esset, quum tamen omnis conuersio sit obseruatu necessaria.

## §. XXXIX.

Sine conscientia conuersio non est possibilis (§. XXXVIII.) varia autem sunt distinguenda (§. XIII.). Ergo anima hominis conuertendi nunc hanc, nunc illam habet representationem et has sequuntur rursus aliae. Quae cum ab externis obiectis, fortius in nos agentibus, abrumpi possint, multum sane tempus huic negotio est impendendum.

## §. XL.

Ex continua actionum earundam repetitione enascitur habitus (per exp.). Quum itaque homo nondum conuersus committat peccata semper (§. V.) et peccando agat (§. III.) eandem actionem repetit et quidem saepissime. Ergo conciliauit sibi habitum regulis legis diuinae contraria agendi.

## §. XLI.

Iste qui habet habitum in agendo facilius actionem A producit quam oppositum B. Maiori ergo conatu ad A exsequendum inducitur quam B. Sicuti ergo ad A efficiendum nihil amplius desideratur i. e. existat Ratio sufficiens; ita ad B producendum, vt ratio fiat sufficiens omnino aliquid accedere debet. Quam valde itaque homo irreginitus ad peccandum sit exercitatus, quanto impetu in peccata quaeuis feratur, ex dictis his cognitu haud erit difficile.

Tendentia ista in prohibita malum est illud, quod etiam regenitis virtutis studium reddit difficillimum: et propterea Paulus magnus Apostolus moerore et luctu afficitur acerbissimo. Queritur Rom. VII, 22. quod quidem voluptatem capiat ex lege diuina; at videret legem aliam in membris suis pugnantem contra legem in animo. Id, de quo disputat Aposto-

lus est bonitas legis a Deo latae, et hanc propterea concedi debere, quia aliquid faceret quod tamen nollet, et hoc vltius confirmat. Esse enim in membris suis legem secundum quam aliquid faceret quod tamen nollet. Ex eo igitur quod aliquid vehementer auerfetur et tamen velit, nihil aliud concludere possumus, nisi inclinationem ad opposita esse valde magnam. Quamquam autem nobis constet istam inclinationem et tendentiam ad ea quae cum lege diuina pugnant, nil esse nisi concupiscentiam prauam, siue malum originale, adeoque omnibus hominibus etiam regenitis adhaerere; sententiae tamen nostrae in se comprehendunt argumentum, scilicet quod homo irregenitus magno cum impetu feratur committendi peccata. Sic etenim, qui viribus spiritualibus sunt induti, ab inclinatione ista ad mala non viuunt liberi, multo minus de irregenitis hoc affirmari poterit. Quid? quod tendentiam istarum multo esse maiorem optime exinde cognoscitur.

§. XLII.

Docent dicta in immediate praecedentibus, quod mutatio hominis in conuersione (§. VIII.) sit admodum magna. Concipiamus enim quanto studio peccatis fuerit deditus homo, quanta cum delectatione effecerit ista, fingamus illum nunc mutare agendi rationem pristinam. Nonne igitur nunc malum videre debet quod antea vt bonum cogitauerat. Nonne omnes actiones, quot autem sunt istarum! ex alio motiuo suscipere debet? Quot sunt intermittendae? quot ex nouo efficiendae? status praeterea, quo nunc viuere homini conuerso incumbit, perpetuus esse debet atque aeternus. Quanta igitur est mutatio, quae oritur ex hominis conuersione?

§. XLIII.

*Deliberare* est sibi rationes mouentes repraesentare.

§. XLIV.

*Homo in conuersionis negotio deliberat.* Mutatio enim ob conuersionem orta omnino est magna (§. XLII.). Quare  
cum

cum homo adultus conuertatur (§ I.) et haec sit conditio hominis, si magna negotia sunt exequenda, vt bonum et malum ex vtraque parte sibi proponat riteque pensitet, ne praecipitatio deinde euadat periculofissima (per exp.): homo conuertendus sibi repraesentare debet rationes mouentes de conuersione ineunda vel intermittenda; hoc autem est deliberare. Ergo homo in conuersionis negotio deliberat.

## §. XLV.

Gratia praeueniens sanctam, de vitae ratione improba mutanda, cogitationem suggerit animae (§. XXII.). Ergo gratia praeueniens ad conuersionem requiritur (§. XLIV.). Etenim actus qui fidei producendae inseruit pertinet ad conuersionis opus (§. I.).

## §. XLVI.

*Quando homo deliberat, hoc ipso sese nondum determinat.* Quando enim sese determinat, vult vt hoc vel illud fiat. Quidquid autem existit de hoc rationem prius existere diximus (§. XXXIII.). Iam cum in deliberationis articulo homo perpendat rationes mouentes, quae illum ad determinationem hanc vel istam impellere possunt, videmus quando homo deliberat, sese hoc ipso nondum determinare.

## §. XLVII.

Determinationem et sanctum desiderium, ad fidei productionem necessarium, excitat secunda spiritus sancti operatio, quae dicitur praeparans (§. XX.). Ergo gratia praeueniens et praeparans successiuis temporibus praecedunt operationi conuertenti.

## §. XLVIII.

Quoniam spiritus sanctus, si gratia sua praeueniente agat, nondum determinationem ipsam et desiderium operetur (§. XLVII.) sed diuersis temporibus vim suam adhibeat, praeueniendo hominem et praeparando illum et tum fidem faciat  
in

in homine existentem, peccatorum cognitione, tristitia propter ista commissa cum auersatione erga illa coniuncta maxima (§. XIV. XV.), bonorum, quae propter Christum exspectamus, notitia, assensu et in illum fiducia (§. XVII.), quae autem omnia tempus affligunt et quidem tale, quod nonnullis momentis non est praeterlapsum (§. XXXIII. XXXIX.) meridiana luce clarius elucet inde, magnum illud conuersionis negotium admittere omnino multas ac varias successiones et propterea in tempore admodum notabili esse demum finitum.

### §. XLIX.

Quod in tempore homo conuertatur hucusque demonstrauimus; sed quale illud et quantum sit non determinare ualemus; quamquam ex superioribus lucidissime appareat, conuersionem nihil esse, si tempus illius nimis arctis limitibus circumscribatur. Sunt tamen qui sibi fingunt, tempus, in quo omnes ad conuertendum hominem operationes finem consequantur, esse admodum exiguum, et aliquot momentis absolutum. Opera igitur nostra non frustra erit adhibita, quam tribuemus nunc paucis examini istorum argumentorum, quae forsitan opponuntur, vel nostrae sententiae opponi possent. Sic ex miraculi notione non inferri potest quod conuersio fiat citissime. Miraculum enim esse diximus (§. XIX) actionem supernaturalem, et supernaturale id quod in vi actrice huius mundi non habet rationem sufficientem: quomodo itaque ex hoc deduci poterit, quod illud, quod per actionem supernaturalem fit existens, fiat existens quam citissime? Nonne productio huius uniuersi est actio supernaturalis, et tamen sex dierum spatium huic operi DEVS sapientissime impendere uoluit? Praeterea DEVS, quando aliquid per actus miraculosos producit, miracula minuit quantum potest fieri (per Theol. nat.). Sic unum per miraculum adesse



adesse potest ex quo alia omnia naturali nexu sequuntur: illudque fieri in conuersione hominis manifeste deprehendimus; per Symbola enim gratiae excitat in homine obtenebrato cognitionem salutarem, ex qua deinde tristitia et fides ortum trahunt suum (§. XVII.). Nullomodo ergo sequitur, quod propterea actus conuersionem ingredientes in instanti peragantur, quia est actio miraculosa.

## §. L.

Deus ipse hominem conuertit (§. XX.), adeoque habitus qui in illo producitur est Θεοδότης, secundum vim huius vocis; ast si opponeretur habitum Θεοδότην esse etiam infusum, huius autem impressionem fieri posse in instanti minus recte hoc fieret. Quod si enim in propria significatione vocem spectamus, infusum est nihil aliud, nisi transmissio fluidi ex vno receptaculo in aliud. Ergo habitus infusus dicitur, quia in hominem immittitur, et statim ab illo, sine vilo impedimento recipi debet. Si autem hoc, aufertur hominis facultas non recipiendi illum habitum. Ergo etiam spontaneitas; quia est facultas ad oppositum sese determinandi principio intrinseco: quam tamen homo habet (per psych.). Ergo conuersio non est habitus infusus. Ergo nec propterea homo conuertitur in instanti.

## §. LI.

Hominem conuersum appellat Paulus nouam creaturam 2 Cor. V, 17. Ergo formari posset conclusio: creatio fit in instanti, homo autem in conuersione creatus est ex nouo. Ergo hoc factum est in instanti. Creatio est productio illius quod antea non aderat. Ergo vel ex aliquo vel non. Si prius haec fit per miraculum (§. XIX.); si posterius autem productio haec est naturalis. Quid ex his duobus ad creationem nouam in conuersione velis accommodare, idem erit nobis. Si enim dicis in conuersione aliquid oriri ex nihilo,

D

remit-

remittimus te ad (§. LIX.); si autem postremum contendis, non habebis rationem cur affirmes hanc creationem fieri in instanti.

§. LII.

Quia ab esse ad posse ualet consequentia (per log.) exempla possibilitatem reddunt indubitata. Quamobrem cum multa exempla de conuersionis duratione breuissima perhibentur, illam possibilem esse uidentur asseuerate. Nos autem negamus et pernegamus propositionem in syllogismo minorem. At dicis esse exempla in promptu, et quotidianam experientiam illa monstrare quam plurima; quum multi sint, qui ex unius tantummodo dicti vel lectione vel recitatione, ex breuissima sed grauissima adhortatione e suggestu, conuertantur. Respondemus autem, cui tam certe constat, quid in anima hominis tam celeriter conuersi, antea actum sit, quid iam agatur et quales mutationes admittat in futurum ut dici possit, iam et in hoc vel isto temporis articulo fidem fuisse excitatam? Nonne potuit homo talis antea spiritu sancto esse praeparatus contemplatione de miserrimo in peccatis statu (§. XLV.), determinatione istum mutandi (§. XLVII.), ut iam totum negotium ad finem perducatur. Nonne hoc tempore quando legit vel audit dictum aliquod ex litteris sacris, nonne nunc potest conuersionem incipere et post aliquod demum interuallum illi finem imponere? Rationem igitur non habemus sufficientem, cur affirmare possimus, quod huius vel illius conuersio praeter consuetudinem tam uehementer sit accelerata.

Pauli Apostoli conuersio Act. IX. Custodis carceris Actor. XVI, 33. 34. et Francisci Iunii, seculi decimi sexti theologi, conuersio uideretur fuisse subitanea. Opponi autem his exemplis etiam potest, quod in §pho iam opposuimus.

§. LIII.

## §. LIII.

Non equidem negamus, actionem qua Deus hominem peccatorem, ob fidem, iustum pronunciat, et quae iustificatio dicitur (§. XXIV.), esse subitanam. Si autem inde infertur, conuersionem etiam esse opus, quod eodem modo tam ce- riter fit peractum ac iustificationem, omnino confunderentur conuersionis et iustificationis notiones (§. XXIV. et I.). Ergo nec hanc ob causam conuersio est actio, sicuti iustificatio, in- stantanea.

## §. LIV.

Deus omnibus possibilibus existentiam largiri potest, quae facultas dicitur *omnipotentia*. Ergo Deus possidet omni- potentiam. Quicquid autem illam circumscribit absurdum est. Sed conuersionis instantanae negatione minime limi- tatur ista. Prius enim euinci debet, talem conuersionem quam supponimus in numerum possibilium referri debere. Deinde ostendendum erit, quod aliis perfectionibus diuinis non sit contraria. Eadem sane Blasphemia committitur, si negatur hoc possibile vel illud Deum posse existens efficere et si efflagitatur vt hoc vel illud fiat, cum tamen reliquis per- fectionibus diuinis contradicat fere omnibus. Nonne omne illud, quod in mundo fit, per miracula producere posset Deus? ast sapientiae illius infinitae e diametro esset contrarium hoc. Quomodo ergo conuersionis instantanae negatio omni- potentiae diuinae limites ponere possit, non video.

## §. LV.

Possit denique nostra de conuersionis tempore doctri- na multis videri periculosissima; quia illud hac nimis protra- heretur. Non autem protrahitur cum damno tempus illud. Quicumque enim conuersionem suam ad Deum serio cupit, etiam media ad illam adhibebit legitima. Nihilominus si op- ponis, illis tamen esset melius consultum, qui longo tempore,

ad conuertendum sese, priuato, vnico suspirio, in vltimo mortis articulo, conuersionem suam promouere possint, quaerimus an non adhuc melius sit, si Deus eiusmodi homines sine omnibus mediis, quae tamen sapientissime vult, redderet saluos atque beatos.

## §. LVI.

Confectaria permulta ex superioribus possent apponi; satis autem erit si eruantur praecipua. Primam igitur hanc formamus conclusionem, *quod nemo conuertatur inscius & inuitus*. Instantanea conuersio omnem aufert deliberationem (§. XXXI. XXXVI.). Ergo conuerteretur homo irresistibiliter et inscius, si in instanti hoc fieret. Non autem fit in instanti sed in tempore (§. XXXII. XXXIII. XXXVIII. XXXIX.). Si autem haec, illi relinquatur facultas oppositum cogitandi illudque amplectendi.

## §. LVII.

*Deinde quod praecipitatio conuersionis sit periculosa*. Docuimus enim in paulo praecedentibus, qualia et quanta ista sint, quae in conuersione nunc remoueri nunc produci debent; quod hominum cognitio sit imbecillis valde, quae tamen in omnibus accurata et seria supponitur; quod reluctetur caro spiritus sancti operationibus, vt istas non simul suscipere queat, sed ita vt se inimicem ordine excipiant et multum tempus efflagitent. Quae cum ita sint, conuersionis praecipitatio omnino est cauenda.

## §. LVIII.

*Nulla datur vera conuersio sine contritione*. Nam sine peccatorum saltem voluntariorum abolitione conuersio nihil est (§. VIII.) haec autem vt sine contritione obtineatur impossibile est (§. XI.). Ergo sine hac conuersio non est completa et aliquid adhuc desideratur. Vbi autem non est convenientia eorum quae simul ponuntur, ibi nec veritas (per princ.

princ. ont.) Ergo nec sine contritione conuersio est vera.

§. LIX.

*Conuersio admittit gradus.* Potest enim tristitia et laetitia hominis maior et minor esse (per exp.). Iam cum contritio sit tristitia ob peccata commissa suscepta (§. XV.); et fides inuoluat laetitiam (§. XVI.); quantitas autem qualitatum gradus dicatur, conuersio omnino gradus admittere potest.

§. LX.

*Lex ad conuersionem est necessaria.* Continet enim Lex diuina moralis regulas cui actiones nostrae sunt conformandae (§. III.) et ex dissensu harum cum istis oriuntur peccata (§. III.), quorum intuitus efficit tristitiam. Iam cum tristitia in conuersionis negotio sit necessaria (§. XIII.) et posito rationato ponenda etiam sit ratio (per princ. ont.) regularum autem in lege contentarum intuitus hanc in se contineat rationem (§. XIII.) patet inde, legem ad conuersionem esse summe necessariam.

§. LXI.

*Euangelii usus aequus.* Euangelium enim est complexus promissionum gratuitarum de gratia Dei deque nostra per Christum redemptorem salute. Ergo harum intuitus gignit laetitiam et fiduciam plenam. Quae fiducia cum ad fidem sit necessaria (§. XVI.), et fides ad conuersionem (§. I.), etiam ad istam Euangelii usus requiritur legitimus.

§. LXII.

*Ex tempore durationis gradus conuersionis non sunt mensurandi.* Si enim essent mensurandi ex tempore, cum numero successuum crescere deberet hominis tristitia et laetitia in conuersione (§. LIX.). Fieri autem potest ut millena successiua praetereant, cum tamen hominis cognitio non sit facta maior (per exp.). Quamdiu autem haec manet eadem, etiam illud manet idem, quod ex ista sequitur; hoc autem est

ram voluptas quam auersatio (per princ. psych.). Ergo tempus durationis haudquaquam continet mensuram graduum in conuersione.

## §. LXIII.

Fides in conuersione producitur (§. I.) ista autem notitiam, assensum et fiduciam ante ponit (§. XVII.). Ergo quicquid assensum hunc et fiduciam reddit facilem et difficilem, illud etiam efficit conuersionem facilem et difficilem: varia dubia et praeiudicia autem impediunt quo minus intellectus veritati debitum assensum praebet et voluntas ad fiduciam determinetur (per exp.). Homini conuertendo ergo et hoc accidere potest. *Ergo etiam esse potest conuersio facilis et difficilis.*

## §. LXV.

Tristitia et fiducia pertinent ad statum animae internum. Ergo cum circumspectentia de huius vel illius conuersione loquendum est. Effectus autem cum testantur de causa (per princ. ont.); et conuersionis effectus fructus illius dicantur, optime ista ex fructibus erit diiudicandis. Sed tamen adhuc prouide et caute. Possunt enim actiones externae a cogitationibus internis esse alienissimae, hoc est, non impossibile est ut hypocrita sit, quem vere regnitum putamus.

## §. LXV.

*Datur denique conuersionis certitudo.* Qui enim in tempore conuertitur varias istas mutationes quae in anima obueniunt obseruare potest (§. LVI.), potest vnum ab altero distinguere (§. XXXVII.). Ergo etiam ad veram illius existentiam hinc sequitur conclusio

TANTVM.

AESTV.

# AESTVMATISSIMO RESPONDENTI

SAL. PLVR. DIC.

P R A E S E S.

**P**Aucis expediam, quae ad TE disputaturum nunc scribenda esse videntur et de TEMET ipso et de disputatione TVA et de argumento, quod disputas. Formatus in disciplina cel. KOECHERI quinque annos, IENAE doctrinas sanctiores tractasti annumque tertium operam dedisti celeberr. WALCHIO, REVSCHIO, HAMBERGERO, neque minus clariss. SCHVBERTO, DARIES et HVTHIO; hac aestate tandem in academiam nostram concessisti, ex qua citius, quam destinaveras, euocatus sine publico progressuum factorum specimine industriaeque documento discedere noluisti. Quod consilium quum ad me deferres mibique ea opportunitate innotesceres: laudabili proposito non defui partesque moderatoris de me recepi. Quas admodum adhuc fuisse exiguas neque maiores futuras in conflictu solenni, si vera auguror, ut apud Lectores constet, tua meaque referre existimo. Nam praeter breuem rationem nonnullarum obiectionumque conuellendarum mentionem a me factam ante elaborationem, solus plane conscripsisti dissertationem, qualis nunc prodit, integram. In qua curate perlustranda licet quaedam offenderim, quae aliter tractassem si notiones ipse formaturus rationesque subducturus fuisset, nihil tamen omnino immutandum esse putavi, tum quod longissime absum a morosa difficultate eorum, quibus sua tantum placent alia omnia displicent; tum quod facile perspiciebam rectissime explicari, circumscribi, confirmari, vindicari etiam et excusari posse quidquid retractandum duxissem si haec ignorassem; tum denique potissimum ut a laude et existimatione nihil quidquam detraberetur, quam his laboris TVI primitiis apud aequos harum rerum arbitros mereris, quibus et curam diligentiam intentionemque, qua dissertationem confecisti, et doctrinam ingeniumque scientiis graviter cultum rectius sic certiusque approbabis. Argumentum, quod ex indice doctrinarum ad disputandum a me propositarum ipse tibi delegisti, ubi locum LXVII. occupat, et utilitate multiplici perpetuaque commendabile est et temporum nostrorum calamitate per quam necessarium euasit. Nam ut discrimina non commemorem, in quae grauissima de conuersione doctrina adducitur ab illis, qui vel sacra  
et

et diuina omnia ipsumque virtutis christianae et redeundi ad Deum  
per Christum studium fastidiosè vident, vel mentis conuersionem  
diuinitus perficiendam cum emendatione philosophica verbis tamen  
formulisque christianis vestita commutant, vel incuriae et securita-  
ti opinionem de facillimo ad DEVM transitu per saltum sub ipsa a-  
nima agenda praetexunt: speciosiores longe atque adeo periculosio-  
res huic doctrinae ipsique hominum saluti insidiae struuntur ab an-  
tinomis recentioribus bene multis, qui in hominibus ad DEVM re-  
ducendis itineris curarumque compendium facturi sibi aliisque per-  
suasum eunt conuersionem ad deum in instanti peragi sine necessaria  
poenitentia, cuius ipsum nomen indignantur, contritione tristitia-  
que, sola apprehensione seruatoris laetoque sensu animi subito et  
repente immutati sanguineque Christi a peccatis liberati. Quae  
desultoria animi emendatio plerisque hominibus morarum doloris-  
que impatientibus grata et accepta ea diuellit et separat quae natu-  
ra sua Deique voluntate coniunctissima sunt arcteque cohaerent, in  
legem diuinam iniuria est, ipso euangelio abutitur, fidem signo in-  
dicioque certissimo priuat atque cum sensu dubio et incerto confun-  
dit ipsumque fidei et iustificationis negotium in internam sensatio-  
num immutationem conuertit. Pluribus haec prosequerer si per  
tempus litterarumque limites liceret. Quare quidquid in hanc  
rem dicendum esse videtur alii opportunitati reseruabo scribendi-  
que nunc finem faciam si tribus verbis TIBI stadium academicum  
emenso doctrinam profectusque et ipsum hoc specimen gratulatus  
fuerò, DEVMque deprecatus vt salutare sanctoris scientiae fru-  
ctus a TE capi vberrime in rem TVAM, ciuitatique sacrae referrì  
feliciter iubeat, omnemque vitam sibi vindicatam fortunet quam  
indulgentissime. Dedi Halae ad Salam in Acad. Frider. d.  
XXV. Nouembr. MDCCXXXIII.



Coll. Chris. H

145.9